



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatvs

**Dript, Laurentius a**

**Paderbornae, 1672**

7. Si reus dubitet, an legitimè interrogetur à iudice, non tenetur ad mentem ejus respondere, sed potest verbis aequivocare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13441**

ptum est non occides nihilo deinde addito nihil-  
bus nec ipse utiq<sup>3</sup> cui præcipitur intelligatur  
exceptus.

Licere nihilominus contra seipsum fal-  
sum testimonium dicere, & restrictionibus  
mentalibus (quas mendacia esse ad secun-  
dum decalogi præceptum demonstratum  
est) Judicis & superioris interrogationes e-  
ligere docent, qui sentiunt.

### PROPOSITIO VII.

*Si reus dubitet, an legitime interrogetur  
à iudice, non tenetur ad mentem ejus  
respondere, sed potest verbis equivo-  
care.*

14. **Q**Uæ assertio etiam tenet, licet Judex  
sub pœnâ excommunicationis præ-  
cipiat, ratio est, quia reus, est in possessione  
libertatis valendi æquivocare à qua detur-  
bari non potest propter dubium legitimæ  
interrogationis. Sed & causa semper hic in-  
tervenit, quia semper ij possunt nolle con-  
servare



servare jus suum, quo possunt non aperire veritatem ei, cui ex certa & manifesta obligatione non debeant. Ex quo fundamento licebit semper reo artificio restrictionum mentalium elidere interrogationes Judicum, si non certo ei constet Judicem esse legitimum & interrogationes ab illo legitime fieri.

15. Verum alij paulò conscientiosiores limitant allatam propositionem, ita ut vera & admittenda sit, si timeatur à reo magnum malum, non verò exiguum, quale esset modicam pecuniam amittere: His nimium placet dudum explosa, & ab omnibus S. Patribus damnata *Abbatis Joseph apud Cassianum collat 17* excogitata sententia dum ait: *Taliter de mendacio sentiendum, atque ita eo utendum est, quasi natura Hellebori ei insit: quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, sit salubre, ceterum absque summi discriminis necessitate perceptum, presentis exitij est: Et paulò infra: Quando igitur grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt querenda perfugia, et tamen, ut reatus humilis conscientia salubriter*

Bb

briter



*briter mordeamur : ubi autem nulla conditio summe necessitatis incumbit, omni cautione mendacium velut mortiferum devitandum est, quemadmodum de Hellebori diximus potu. Et cap. 20. Tunc necessario ac venialiter acquiescitur mendacij detrimento, quando majus imminet de veritatis confessione dispendium & utilitas, qua nobis de veritate confertur, compensare illa, qua generanda sunt damna, non praevalet. Sed hanc limitationem rejicit assertor ultimo allatae propositionis, eo quod praedicta possessio libertatis aequivocandi aequae praevaleat, sive grave, sive leve damnum timeatur.*

16. Sed quid, si reus à Judice & legitimo, & legitime interrogetur, nunquid etiam cum periculo vitae veritatem fateri tenebitur, nec aequivocatione, aut mentali restrictione Judicis interrogationem subterfugere vel elidere poterit?

### PROPOSITIO VIII.

*Reus legitime interrogatus si subsit periculum vitae, veritatem aequivocatione occultare & negare potest.*

*Cui similis est, quae sequitur.*